

cumstantiam aliquam, quæ posset ex iudicio prudentum à contractu absterere, non censetur in casum, quo talem circumstantiam cognoverit, se voluisse obligare *arg. d. L. 77.* Sivè *primò* mutatio sit in bonis corporis v. g. deformitas vultûs, amissio virginitatis, oculi, truncatio pedis, alteriusve membri difficulter curabilis defectus aperiat, sivè *secundò* mutatio fiat in bonis animi per lapsum in amentiam, propensionem in ebrietatem, rixas, aliudvè periculosum vitium, sivè *tertiò* mutatio fiat in bonis famæ, & honoris per depositionem ab officio, infamiam ex delicto contractam, sivè *quartò* mutatio fiat in bonis fortunæ per supervenientem inhabilitatem ad constituendam dotem Sanchez *Lib. 1. disp. 57, 58, & 59.* an autem similem resiliendi facultatem tribuant supervenientes insperatæ divitiæ, Nobilitas, principum honores, dic, quod vis. Habitis Sponsalibus, utpote viâ progrediendum est ad terminum, ipsum scilicet matrimonium, itaque sit.

PARS SECUNDA.

DE

MATRIMONIO, EJUSQUE DIVISIONE.

I.

Potissimam cujusquæ rei partem principium, id est originem, & definitionem esse eleganter sapientes do-

C

cent.

cent. nominis enim rectitudo illa est, ut qualis res sit, ostendat inquit plat. in Crater. quod & docent Jcti nostri Ulpian. in L. 1. ff. dej. & j. L. 2. de reb. cred. & L. 1. deposit. Cajus in L. 1. de O. J. Pompon. in L. 2. pr. & §. 13. eod. Paulus in L. 1. de contrah. empt. quorum & ego vestigiis insistentes matrimonii originem esse de jure naturæ, institutionem autem de jure divino doceor sacrae scripturae textu *Genes. 2.* & auctoritate Aristotelis *l. 1. Oeconom.* ubi ait *uxorem esse ex arâ deorum.* Etymologiam matrimonii non sumi à patre, sed magis à matre palam est, non quod ea sit patre præstantior, sed quia matris onus & munus in procreatione liberorum est gravius vide *cap. ult. de convers. infid.* & latè *Mozz. h. tit. in pr.* & hinc nonnulli majorem matri, quàm patri à liberis gratiam habendam asserunt, quod constet terram ipsam plus conferre, quàm aratorem, Synonima matrimonii habet *Schmier. h. tit. cap. 1. §. 1. n. 2. & seqq.* potissimum tamen accipitur aut pro contractu, aut pro illius effectu, vinculo scilicet matrimoniali, & priori modo acceptum definitur, quod sit conventio, quâ mas & fœmina sibi invicem dant jus in corpora ad usum humanæ generationis gletle in *methodico compend. inst. lib. 1. tit. 10. n. 8.* posteriori modo sumptum describitur, quod sit maris & fœminæ conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens *§. 1. inst. de patr. potest. cap. 11. de praesumpt.*

II.

Matrimonium variè dividi illud est, quod nemo negaverit, communis & principalior ejus divisio fit in legitimum, quod inter personas non impeditas legitimo consensu contrahitur absque ratione Sacramenti *cap. ult. §. item illud. caus. 28. q. 1.* quale olim fuit in lege naturæ & Mosaicâ ac hodiè apud Judæos, & infideles *cap. 7. x. de divor.* in ratum, quod caractere Sacramenti signatum est, nondum tamen secutâ carnali copulâ, quale est inter fideles, non autem infideles ex defectu baptismi, & de hoc matrimonio exaudienda est *L. 31. ff. de reg. jur. consummatum*, quod subsecutâ carnali copulâ per se aptâ ad generationem prolis perfectum est, sed an, si copula præcesserit matrimonium, illud habeatur pro consummato quæstio est, cujus negativa placet, debet enim copula, per quam matrimonium consummatur, exerceri ex jure matrimoniali, denique præter hoc quod matrimonium sit vel verum vel putativum alia à feudistis & politicis referuntur species matrimonii, nimirum ad morganaticam, sive lege Salicâ contracti *germ. Vermählung zur linken Hand* / ideò quia tale matrimonium per sinistrae manûs porrectionem plerumque fieri consuevit *Lincken de matr. leg. salic. contr. cap. 3. n. 35.* estque hoc matrimonium conjunctio viri illustris cum fœminâ inferioris conditionis eo pacto inita, ut uxor & liberi inde nati dono nuptiali aut aliâ certâ portione tempore sponsalium determinatâ sint

sint contenti, & à cœteris bonis avitis ac paternis unâ cum dignitatibus, titulis ac insignibus abstineant per *text. 2. f. 29.* vid. Eliam Stryck. *de matr. ex ratione statûs cap. 2. num. 35.*

III.

HUjus autem matrimonii lege salicâ contracti justitia stat in eo, quod dignitatum distributio pertineat ad summam potestatem, & ob publicam utilitatem liberorum debitum ex jure positivo profluens restringi possit, & minui ita clariss. D. Gerardus Ernestus Hamm. J. V. Licentiatuſ in Celeberr. univ. Colon. meus quondam Jur. publ. professor publicus longè colendissimus in *Synopsi discursuum feudalium discurs. 6. num. 183.* maximè cum sic familiarum illustrium decor ad similitudinem juris primogenituræ, fideicommissorum familiarum nobilium, renuntiationum fœminarum illustrium, Collegiorum cathedralium conservetur, ne in plures divisâ hæreditate dignitatis splendor obfussetur. Sic Ferdinandus dux Baviaræ ad stipulante fratre Wilhelmo Mariam nobilem de Pettenbeck hisce pactis in thalamum sibi adscivit, ut filii ex tali matrimonio nascituri ab insignibus, titulisque ducalibus sese abstinerent, & sub nomine comitum de Wartenberg 6000. florenis annuatim recipiendis contenti viverent, extinctâque penitus prosapia Wilhelminâ & titulorum, insigniumque ducalium, & ditionum Bavaricarum essent successores. Pariter Georgius Fridericus Marchio in Baden

den & Durlach cum virgine Elisabethâ Stozin præfecti sui Rotelno Stauffenbergensis filiâ matrimonium ad morganicam contraxit, ita ut tam uxor, quàm liberi certis annuis redditibus contenti à successione bonorum familiæ abstinerent, consimiliter Georgius Albertus Princeps Anhaltinus zu **Worbis** Joannam Christophori de Croseck Aulæ dessaviensis Mareschalli filiam hac conditione in conjugem elegit, ut filii orituri titulum tantum dominorum de Radegast gererent Myler. in Gamolog. Cap. 6. n. 12, & 13, qualem vitiorum gravissimorum praxin improbare sit vel cogitasse nefas.

CAPUT I.

DE

SUB- ET OBJECTO, FORMA
ET EFFECTIBUS MATRI-
MONII.

§. 1.

Matrimonium in genere possunt contrahere omnes, qui non prohibentur, est etenim edictum de matrimonio contrahendo prohibitorium, ut quicumque non prohibentur, per consequentiam admittantur cap. cum apud sedem 23. X. de sponsal. innocent. C. 3. de spons.

C 3

§. 2.

§. 2.

Consensûs duo sunt principia, intellectus, & voluntas, ob horum defectum prohibentur infantes, furiosi, amentes, extremè ebrii, quamdiu infantia, furor, & ebrietas durat, ob vitium corporis muti, surdi & cæci simul vallens. *b. tit. §. 10. n. 1.* ob defectum ætatis, quæ est mensura quædam temporis à nativitate hominis ad ejus obitum decurrens fagnan. *in cap. cum in cunctis de elect. n. 134.* impuberes seu mas ante 14tum, fœmina infra annum 12mum. *cap. 2, 3, 6, 9, & 10. de despons. impub.* quamquam sacri canones matrimonium ante eam ætatem ad generandum idoneam non tam generaliter, & indistinctè inhibuerint, ut non subinde, si periculum incontinentiæ removendum videtur, relinquunt valorem matrimoniali contractui inuito à partibus, quæ ante ætatem illam forent ad generandum capaces, cur autem fœmella masculo citiùs pubescat vid. latè Kornman. *de virgin. stat. & jure cap. 4. per tot.* de cœtero etiam licet *amare juveni fructus sit, & crimen seni* Seneca *in proverb.* & hinc ex lege Papiâ popejâ sexagenariis viris, quinquagenariis mulieribus nuptiæ inhibitiæ, quod facilè eâ ætate degentes impotentes fiant, & sic deficiat spes prolis Cagnol. *in L. 1. ff. de jurisd. omn. jud. n. 24.* vide Tyraquel. *ac LL. connub. 6. Gloss. 6.* id tamen rectè abrogatum per *L. 27. cod. h. tit. & can. 41. caus. 27. q. 1.* est etenim matrimonium in senibus legis obsequium, & humanitatis solatium *d. can. neque*

neque etiam in iis prolis procreatio est planè impossibilis, prout constat ex historiâ, quam Martin Zeiler in der Kleinen Schwäbischen Cronick fol. 163. de quodam viro 96. & ipsius uxore 94. annos agente refert: nuptias tamen impares, ut sunt senis decrepiti, & floridæ virginis L. s. major. 12. cod. de legit. hered. præter alia incommoda inducere votum captandæ mortis tragicus exitus non rarò docuit, unde nuptiæ Sophoclis, & Alcippes hujusmodi dicteriis exagitatae leguntur.

*Noctua ut in tumulis, super utque cadavera bubo
Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.*

§. 3.

Non valere matrimonium à parentibus nomine liberorum contractum, si hi præsentés taceant, & non contradicant, de jure verius est, cum enim in Sponsalibus id singulare sit & exorbitans à jure, facultas hæc non est trahenda in consequentiam, & ad matrimonium extendenda, arg. cap. 28. de reg. jur. in 6. maximè quòd sponsalia non inducant vinculum insolubile, nec tantum generent præjudicium, quantum matrimonium Pontius de matrim. lib. 2. cap. 14. num. 3.

§. 4.

Valere tamen matrimonium contractum per procuratorem, si is speciale mandatum non revocatum de certâ personâ habeat, difertè constitutum in cap. ult. de procurat. in 6. idque adhuc hodiè post sinodum Tridentinam

nam obtinere satis constat ex receptâ praxi, maximè inter principes, equidem non solum Augustissimus Imperator Josephus gloriosissimæ memoriæ cum Wilhelminâ Amaliâ natâ duce Hannoveranâ die 15. Januarii 1699. Mutinæ, sed & modernus Inviçtissimus Imperator Carolus 6tus cum Elisabethâ Christinâ natâ duce de Wolfenbütel Anno 1708. per legatos serenissima conjugia celebrant, sic & scio Christianissimum regem Galliarum Ludovicum 15tum. Mariam principissam Stanislai Leszinski anno 1725. die 15. Augusti procuratore duce d' Orleans Argenterati sibi despondisse, cum tamen etiam ad consummationem matrimonii consensio thalami requiratur, in Germaniâ moris est, ut matrimonio rato per procuratorem inito addatur ab eodem aliquid consummationem matrimonii adumbrans, ut nimirum præsentibus aliis nova conjux, & procurator in eodem lecto decumbant, illa integrè vestita, hic insuper Cataphractus, totumque corpus ferro tectus, & hoc non solum germanis, sed aliis quoque principibus usitatum testatur Massenius in *animâ histor. Lib. 7. n. 101. ad annum 1554.* ubi sic habet: *Lamoralis igitur Egmundii Comes è belgio Philippi nomine profectus illius in desponsatione Mariae vices obit, ac de more principum armatus concubuit, quæ tamen omnia non nisi ex ratione statûs adhiberi constat, ut matrimonium sic plenè consummatum videatur, adeoque si unam expersonis desponsatis, priusquam ad alteram perveniret, mori*

contin-

contingeret, superstiti successio salva maneret Stryck. *de*
matrim. ex ration. stat. cap. 2. n. 83. & 84.

§. 5.

Duplex potest concipi objectum matrimonii, remo-
tum unum, & proximum alterum, & prius quidem
aliud non est, quàm corpora contrahentium habilia ad
generationem humanam, ut enim merx, & pretium, quæ
indubitatum emptionis-venditionis objectum remotum
est, se habent respectu emptionis - venditionis, ità
corpora contrahentium generationis causâ conjungenda
se habent respectu matrimonii, sed per posterius intelligen-
tur jus in corpora ad usum humanæ generationis, illud
siquidem rectè dicitur objectum materiale matrimonii
proximum, in quod consensus contrahentium immediatè
tendit, sed ille tendit immediatè in jus in corpora ad
usum humanæ generationis, ergo.

§. 6.

Formam matrimonii ex hucusque dictis facilè quis
constituet in consensu contrahentium legitimo in mu-
tuam corporum traditionem de præsentì, est etenim es-
sentiale discrimen matrimonium inter, & sponsalia, quod
illud per consensum de præsentì requirat actualem cor-
porum traditionem, non item hæc *can. nostrates. 3. caus. 30.*
q. 3. in pr. non refert tamen, an consensus ille de præsentì
per verba, an per signa qualiacunque, consensum tamen
internum in corporum traditionem indicantia manifeste-

D

tur

tur Covarruv, in 4. decret. p. 2. cap. 4. in pr. n. 1. aut etiam
declaretur per Epistolam Vallens. h. tit. §. 8. n. 2. & 3. pa-
tet enim non solum in genere de contractibus consen-
sualibus, quod per Epistolam consensus queat exprimi L.
2. §. 2. ff. de obl. & act. Sed & in specie de contractu ma-
trimonialitatis talis expressio comprobatur in L. mulierem. 8. ff.
de rit. nupt.

§ 7.
Illud juvat meminisse, quod, licet consensus contra-
hentium debeat esse mutuus, & de presenti cap. 14. h.
tit. L. 22. L. 29. ff. de rit. nupt. non tamen necessario requi-
ratur simultas physica, sed sufficiat moralis, quatenus
nempè pars illa, quæ primò consensum manifestat, eum
non revocat, donec pars altera quoque consentiat San-
chez de matr. lib. 2. disp. 32. n. 3. & 7. in contractibus enim
consensualibus, qui inter absentes per procuratorem aut
Epistolam celebrari possunt, consensus nequit aliter, quàm
moraliter concurrere L. 1. §. 2. ff. de contr. empt. & licet
etiam consensus fictus ac simulatus matrimonium ipso ju-
re efficiat nullum cap. 26. X. de Spons. & matr. in foro ta-
men externo adversus talem simulatorem stat præsump-
tio, nec ei fides haberi debet, quamvis juret se tantum
fictè inivisse conjugium arg. cap. 10. de probat. L. 13. cod. de
non numer. pecun. ne alias detur occasio matrimonia etiam
verè contracta dissolvendi.

§. 8.

AD formam accidentalem matrimonii spectat conditio, quæ si possibilis sit, omninò admittitur per *cap. 5. de condit. appos.* an etiam si quis successivè duo matrimonia sub conditione contrahat, & conditio adjecta secundo matrimonio priùs existat, valeat secundum præ primo, quæstio est, quæ gravissima virorum torsit ingenia, cujus tamen cum pontio *lib. 3. cap. 13. n. 21.* negativa placet ex eo, quod matrimonium primum conditionatè initum inducat obligationem puram expectandi conditionis eventum, & hac pendente non attendandi secundum, aut à priori pœnitentiâ licet interveniente resiliendi *arg. L. 42. ff. de O. & act. L. 213. ff. de V. S.* nam quamvis pendente conditione spes tantum sit debitum iri matrimonium, illa tamen spes ità radicata est, ut invito nequeat auferri *Lauterbach. ad tit. ff. de spons. §. 39.* & certè si matrimonium prius fuisset purè contractum, illud valeret præ secundo etiam purè contracto, ergo & primum conditionatum valeat præ secundo, licet hujus conditio præexistat, cum conditio adjecta primo retrahatur, fatiatque videri matrimonium ab initio purè contractum *arg. L. 8. in pr. ff. de peric. & commod. rei vend. L. 11. §. 1. ff. qui potior. in pign. conditio impossibilis, nisi repugnet substantiæ matrimonii, qualis, quæ contra bonum prolis, fidei, vel Sacramenti arg. can. 10. caus. 27. q. 2. propter favorem matrimonii habetur pro non adjecta cap. ult. de cond.*

appos. Noli tamen hic inferre cum Engel ad *cit. tit. n. 10.* aliisque, conditiones has *contraho tecum, si mecum vixeris in perpetuâ castitate, si debitum non exegeris, aut mecum non concubueris,* adversari substantiæ matrimonii, & illud vitare, conditiones enim has licitè apponi, & meritorie servari posse patescit ex purissimo conjugio B. Virginis cum S. Josepho *can. 9. caus. 27. q. 2.* ut & S. Imperatoris Henrici, ac Chunegundis, Eduardi 3ⁱⁱ Regis Angliæ, & Edithæ, sic & Urbanus 2^{dus} approbavit, imò ut refert. Clericus *de Sacram. matrim. decis. 2. n. 16.* imperavit matrimonium, quod contraxit Mathildis Italiæ Comitissa cum Wulfone duce hoc pacto, ut virginitatis votum servaret inviolatum.

§. 9.

Effectus matrimonium habet varios, quidam ipsos conjuges respiciunt, aut in communi, aut in singulari, quidam liberos ex matrimonio natos, *primus* utrique conjugum communis est effectus, quod matrimonium ut Sacramentum conjugibus fidelibus conferat gratiam. ita fides Catholica per *Trid. Sess. 24. Can. 1. de Sacram. matr.* Secundus est vinculum indissolubile contrahentium *Trid. loc. cit. in pr. 1. Corinth. 7. v. 10. Cap. un. de vot. & vot. redempt. in 6to.* Nec obstant repudiationes conjugum à principibus nonnullis factæ ut Irenis à Constantino Imperatore, Theutpergæ à Lothario francorum Rege, Richardis, seu Richildis à Carolo Crasso. *Tertius* effectus est fides conjugalis, ratione

ratione cuius conjux conjuge altero licet diutissimè absente nequit carnaliter cùm aliâ personâ commisceri *cap. 19. X. h. tit.* debentque unâ in eodem tecto & lecto, mensâque habitare *Genes. 2. v. 24.* & alter alteri vel expressè vel tacitè rationabiliter tamen, de quo videatur Paul. Zachias *in quest. med. legal. lib. 7. tit. 3. qu. 2. & seqq.* petenti debitum conjugale reddere tenetur *1. Corinth. 7. v. 3.*

§. 10.

Effectus in singulari etiam diversus est pro diversitate subjecti, sic marito competit maritalis potestas in uxorem, vicujus illa marito subesse debet *Genes. 3. v. 16. & ad Ephes. cap. 5. v. 23.* hoc tamen maritalis regimen in uxorem non sit despoticum, severum, aut exosum, sed moderatum Lauterbach. *ad. tit. ff. de ritu nupt. §. 83.* cùm ancilla non sit, sed socia & consors *L. 1. ff. de rit. nupt.* huc facit *can. 2. caus. 32. q. 6.* interim tamen maritalis illud dominium subinde ab uxoribus vel vi, vel clam, vel precario, quæ vitia possessionis sunt §. 6. *inst. de interd. occu-* pari constat experienciâ, & hinc non nemo fortè optaverit daß in manchem Land des Allveri Königliches Ausschreiben renovirt werden mögte / der gebotte / daß ein jeglicher Mann der Ober- Herr in seinem Hauß seyn solte *Esther. 1. v. 20, 21, & 22.* *Secundò* marito ratione liberorum competit p tria potestas *inst. de patr. potest.* *Tertiò* matrimonium subinde viam marito sternit ad imperia, regionesque connectendas, ac fortunarum accessiones

faciendas. Sic Maximilianus 1^{mus} Imperator cum conjugē Mariā ultimi Burgundiæ ducis Caroli audacis filiā consecutus est cum Burgundiā inferiorem germaniam, similiter Philippus 1^{mus} filius ejus per Joannam Ferdinandi Catholici filiam totam posteris acquisivit Hispaniam, Philippus 2^{dus} Caroli Quinti filius suis regnis adjecit Portugalliam ex beneficio conjugii paterni, & Isabellæ matris Emanuelis Lusitaniæ Regis filiæ, Ferdinandus 1^{mus} Rex Romanorum Caroli V. frater cum Annâ Uladislai Hungariæ Regis sorore ad se suosque devolvit Hungariam Kieffer in *dissert. de Serenissimâ domo Habsburgico - Austriaco - Germanâ membr. 2. quest. 32.* Et hic modus acquirendi provincias tantò est innocentior, & humanior istis modis, qui fiunt per lanceam ferro armatam, quantò amor violentiâ, & liberorum procreatio præstantior hominum Strage Lymnæus ad capit. Caroli V. proem. voce **Erzherzog.**

§. II.

Singulariter autem ex matrimonio sibi constitutum habet uxor hunc effectum, quod participet dignitatem mariti, eandemque vidua retineat text. express. in *L. 8. ff. de Senator. L. 22. §. 1. ff. ad municip.* hinc mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum personâ statuimus & domicilium mutamus *L. mulieres. 13. Cod. de dignit. L. 9. cod. de incol. lib. 10.* matrimonium enim inquit ex Baldo Antonellus *de loco legali l. 2. C. 1.*

qu. 12.

qu. 12. n. 192. est talis virtutis ac naturæ, ut transfundat originem uxoris in originem viri, quia nulla est major unio, quàm unio conjugalis, per quam vir, & uxor efficiantur una caro *genes. 2.* ità ut dignitas, nobilitas, imunitas quæ sita mulieri ex personâ viri non possit auferri, nequidem ex facto viri *Cod. fabr. l. 9 tit. 29. defin. 16.* cùm hoc dignitatis privilegium habeat non à marito, sed à lege, licet ob mariti personam, reipubl. enim interest mulieres nubere viris in dignitate positis ad procreandam honestiorem sobolem *Cyriac. controv. 451. n. 22.* hinc sequitur ignobilem viro nobili nuptam fieri nobilem, & consequi omnium nobilium fœminarum privilegia, corruscat enim radiis mariti hoc lege dante *nov. 105. c. 2. in pr.* ita virgo nobilis nupta regi, aut principi titulo serenissimæ gaudebit, nisi pacto aliud sit conventum *Stryck. ad us mod. ff. de senator. §. 6.* ità si maritus habuerit vel à nobilitate generis vel à splendore honoris & dignitatis immunitatem à tributis, & aliis oneribus, eadem gaudebit & uxor etiam vidua *Voetz. ff. de jur. immunit. §. 6. vers. planè quibus.* ità uxor ante matrimonium ordini Imperii quoad jurisdictionem subiecta immediatum mariti forum consequitur, adeoque amisso foro pristino vel coram Austregis vel Camerâ Imperiali vel iudicio Imperatoris aulico convenienda erit *Berger. in dissert. juris Select. disp. 50. th. 33.* Nil facit, quod mulier dignitatem ante nuptias majorem habitam non amittat, minoremque mariti assumat *L. 1. Cod. de dign.* id enim de
conna-

connatâ (modò penitùs non nubat indigno L. 8. ff. de Senator. ne sibi de honore blandiantur, quo se ipsas indignas judicavere L. 12. Cod. de dign. in fin.) intelligendum, cùm ista in favorem mulierum constituta in earum odium non sint retorquenda L. 6. Cod. de LL. & honestum matrimonium ipsis vergere non debeat in pœnam Stryck. ad usmod. ff. de senat. §. 9. & 10. quâ lege Anna Stuarta magnæ Britanniæ regina nupta principi Danico reginæ dignitate & titulo privativè gavisa fuit, ex eodem fonte est, quod principissa Prussiæ, & Marckgravia Brandenburgica principi Saxo-Eysenacensi hæreditario anno 1723. junctâ titulum celsitudinis Regiæ *Königliche Hocheit* retinuerit teste mercurio Hollandico *dicti anni mensis Augusti*, amittitur autem ascititia illa virorum dignitas, si aut pudorem vidualem stupro polluerint Gail. 2. obs. 98. n. 17. aut ad secundas fœminæ convolaverint nuptias d. L. 8. L. fin. Cod. de incol. L. 13. Cod. de dignit. nisi impetraverint à principe, ut nuptæ viro minoris dignitatis nihilominus in dignitate pristinâ remaneant L. fin. ff. de senator. ex quo textu Rebuffus teste Mornacio *ad hanc. leg.* nobili cuidam fœminæ famuli defuncti conjugis indecores nuptias depereunti consuluit, ut de salvâ prioris mariti dignitate impetraret rescriptum.

§. 12.

PRogrediendo ad effectus solis liberis proprios sciendum *Primò* quod nati ex vero matrimonio, aut putativo

rivo sint legitimi *Cap. 8. 11. & 14. § qui fil. sint. legit.* licet mater adulterium se commisisse fateatur *Gail. 2. Obs. 97.* aut de patris fœcunditate dubitari possit, sic in Galliâ pro legitimo filio per sententiam Parlamenti declaratus fuit, quem pater centum jam annos habens procreasse ferebatur *Julien Peleus Act. forens. lib. 4. art. 52.* ut refert *Speidel* voce **Eheligen** / nati autem ante matrimonium per subsequens legitimentur *L. 10. & 11. Cod. de natur. lib. Nov. 89. Cap. 1. & 2. Cap. tanta. 6. § qui fil. sint leg.* modò parentes fuerint habiles ad ineundum matrimonium aut tempore Nativitatis, aut Conceptionis, aut gestati uteri per *d. L. 11. Cod. de nat. lib. & Nov. 89. Cap. 8.* Secundò quod liberi parentibus tam in feudalibus, quàm allodialibus succedant, commune namque votum & naturæ, & parentum filios ad bona eorum invitat *L. 7. §. 1. ff. si tab. testam. null. extab.* Denique quod quantum ad dignitatem, familiam, gentem, aliasque præminentias patris, non matris conditionem sequantur *L. 19. ff. de stat. hom.* ubi parùm refert, sive in dignitate constitutus eos susceperit, sive ante dignitatem, sive post conceptionem pater mortuus sit *L. 5, 6, 7, §. 1. ff. de Senator. L. 2. §. 2. & 3. ff. de decurion.* non enim oportet liberis paternos honores invidere *L. Senator. 11. Cod. de dignit. & licet cum Stryck. ad us. mod. ff. de Senator. §. 2. & seq.* facilè concedam paternum officium & ei inhærentem dignitatem personalem neminem consequi, quo tamen proedriæ jure parentes inter se utuntur, eodem quo-

E

que

que jure gaudeant liberi inter se concurrentes, regulamque hanc vel maximè in Nobilitate, patritiatu, immediatâ Imperij subjectione, privilegiis opificum, & tribuum obtinere, imò & ad jus primogenituræ in successione Regnorum extendendam puto cum Carpz. *part. 2. const. 10. defin. 32. n. 10.* Struv. *exercit. 4. de Senator. Th. 6.* quam quæstionem motam fuisse inter Filios Philippi Valesij, quorum alter natus erat, antequam pater Rex fieret, & secundum regulam hanc decisam testatur ex Bodino *de rep. l. 6. cap. 5. fol. 10.* Mornac. *ad L. s. ff. de Senator.* Sic & Ludovicus ante impetratum à Patre Carolo 2do Regnum Gallix natus fratri suo Carolo Regi nato in Successione Regni prælatus est. Ita princeps Hannoveranus Electoralis ante regnum à patre adeptum natus modò audivit Regis filius hæreditarius Princeps Wallix.

§. 13.

Quamquam autem magnus sit favor matrimonij, & qui meretricem errantem ab erroris semitâ reducit, non minimum opus faciat charitatis, idquè ei proficiat in remissionem peccatorum *Cap. inter opera 20. de sponsal.* à jure tamen Criminali Carolino alienum ducopœnam furti remittere in favorem intercedentis, & furis nuptias ambientis meretricis, Suffragatur *Chur. Pfalz Marlesig, Ordnung tit. 70. in pr.*

CAPUT II.

DE

CONTRARIIS MATRIMONII.

§. I.

Constat per impedimentum matrimonij nil intelligi aliud, quàm obstaculum quoddam morale faciens, quo minus mas & femina matrimonium contrahere pro suo lubitu queant, retardansque eosdem ab amplectendo conjugij statu, qui solet iniri sobolis procreandæ, & communis subsidij causâ. Morale illud obstaculum quoties tantum est, ut attentata contra ipsum matrimonia omni prorsus robore ac valore destituantur, sub nomine impedimenti dirimentis proponitur, sub vocabulo autem impedimenti solummodò impediens explicatur, dùm matrimonio contrahendo sic resistit, ut contracto non adimat roboris firmitatem.

§. 2.

Quantùm ad impedimenta impediens, horum plura fuerunt olim orta ex delicto, de quibus Schmier *h. tit. p. 3. Cap. 1. Sect. 3. §. 1, 2, & 3*, quæ tamen hodiè exolvere Less. *de just. & jur. lib. 4. cap. 3. n. 68.* ut non nisi quatuor orta tamen sinè delicto supersint, Ecclesiæ vetitum, seu specialis prohibitio, quâ matrimonium autoritate Ecclesiasticâ quibusdam

busdam personis ex causâ legitimâ redditur illicitum, Tempus feriatum, per quod hodiè intelligitur tempus adventûs usque ad Epiphaniam, & à die cinerum usque ad dominicam in albis *Trid. Sess. 24. de reform. matr. Cap. 10.* & licet hoc quoque tempore non ipse matrimonij contractus, & consummatio, sed tantum nuptiæ, id est convivium, choreæ, externa pompa prohibeantur *Pignatelli Tom. 6. consult. 47.* Usus tamen Germaniæ habet, ut hisce temporibus non assistant matrimonio parochi, nisi urgeat necessitas, & non aliter, quàm habito ordinarij consensu, ubi fieri potest, tertium impediens sunt Spònsalia per *Cap. 22. de Spons. ac denique votum simplex v. g. castitatis, ingrediendi Religionem, suscipiendi sacros ordines, hoc enim stante matrimonium contrahitur illicitè Cap. un. de vot. & vot. redempt. in 6.* idque procedit, si matrimonium contrahatur modo ordinario, nimirum cum animo consummandi, secus si extraordinario cum pacto v. g. servandi continentiam.

§. 3.

DE impedimentis dirimentibus videamus, & lubet initium facere ab errore, error iudicium animi est, sed falsum, & ut hic matrimonium dirimat requiritur *Primò* ut objectum substantiale contractûs matrimonialis sit cognitum à contrahentibus, qui errare supponuntur, neque enim in rem prorsus ignotam aut assensum dabit intellectus, aut affectum voluntas, requiritur *Secundò*, ut cognitio,

tio, quâ objectum istud repræsentatum est, suâ qualicum-
 que vi effectrice concurrerit ad eligendum idem obje-
 ctum, *Tertiò* requiritur, ut electio ista, quâ fit consensus
 ab utrâque vel alterutrâ contrahentium parte, sic fundata
 sit in apprehensâ veritate cognitionis præexplicatæ, ut in
 casu deficientis in eâ veritatis certò nollet consentire ani-
 mus, & hic error cum moveat ad consensum solummodò
 conditionatum, deficiente conditione ponit involuntarium
 simpliciter, & hinc nullam in errante obligationem, idq;
 non tantùm de jure positivo, ut notant doctores ad *Can.*
unic. caus. 29. q. 1. & Leg. 15. ff. de jurisdic. sed & naturali,
 cum enim jus naturale exigat, ut homines matrimonium
 contracturi consensum habeant & absolutum & liberum,
 quoties se purâ conventionem obligare intendunt, non est
 dubitandum, quin juxta ejus juris naturalis dictamen error
 auferens libertatem, ac voluntarietatem absolutam con-
 sensus ipsum matrimonij attentati vinculum dirimat, huc
 facit doctrina Grotij *de Jur. Bell. & pac. lib. 2. cap. 11. n. 6.*
 denique si error est circa qualitates personæ, toties rectè
 quoque infertur deficere consensum voluntarium in ob-
 jectum substantiale actûs, quoties qualitates istæ vel sunt
 juxta contrahentis intentionem instar finis primarij, ad
 quem obtinendum matrimonium ipse sibi elegit velut me-
 dium eatenus visum esse necessarium, vel sunt in contra-
 ctum deductæ tanquam signa determinantia personam in-
 dividualem, cum quâ matrimonium celebretur, utroque

namquè in casu qualitates ita redundant in personam, ut consensus in eam non sit absolutus, nec eandem respiciat nisi sic qualificatam, proindeque error, qui intervenit, ipsumque consensum antecedit, circa ipsam usque adeò personam intervenisse dicendus sit vide Schmier. *Jurispr. Can. Civil. lib. 4. p. 3. Cap. 2. à n. 183.* ad calum tamen particularem promissionis ac conventionis matrimonialis ista applicanda non sunt, ubi error solummodò versatur circa accidens substantiæ liberâ voluntate electæ *Cap. 18. de Sponsal.* ut si quis ducat ætate provectam pro succi plenâ juvenulâ, pro solis filiâ calidâ ac callidâ algentem ætate Nympham, aut quando jurgiosa Xantippe deprehenditur quæ suavis Catulli Lesbia, aut Bonifoni Pancharis esse credebatur Havemann. *de jure connubior, lib. 1. tit. 5. posit. 3. n. 2.*

§. 4.

Metus motus animi est malum imminens fugientis, utque matrimonium dirimat debet esse imprimis injustus, & proinde talis, cujus incutiendi *vel* nullam suâ improbitate causam dederit is, cui incussus est, *vel* nullam suo jure facultatem habuerit is, à quo incussus est, debet deinde metus esse gravis, qualis censetur ille, quo animus averfatur malum imminens juxta prudentem fortis, constantisque hominis æstimationem, & magnum, & ad evadendum ita difficile, ut ejus evitandi aliqua nihilominus spes adsit compossibilis cum promissione, quâ alius in-

ten-

tentatum metuenti malum & posse & velle exequi existi-
 matur, debet quoque metus esse causa impulsiva ad ample-
 ctendum matrimonij statum, in ordine ad quem quia elici-
 tus consensus apprehenditur à metuente tendere magis ad
 diminuendam, quàm promovendam suam felicitatem, inde
 est, quod animus metuentis cum aliquâ plerumque tristitiâ
 ponat consensum in circumstantiis impellentis metus, ac
 per consequens subsecutus contractus, qui velut medium
 ad mali imminentis fugam eligitur, evadat involuntarius
 secundùm quid in positis istis contra propriam voluntatem
 circumstantiis, [metum autem enarratis conditionibus
 instructum dirimere matrimonium ad mentem juris Eccle-
 siastici dubitare vetat *Cap. 14, 15, 21, 28, de spons. & matr.*
Cap. 2. de eo qui duxit in matr. An autem jus etiam natura-
 le omnem legis Ecclesiasticæ irritationem antecedens di-
 rimat istiusmodi matrimonium, ad quod extorquendum
 metus reverà incussus fuit inter doctores non ità convenit,
 verius tamen mihi videtur cum Covarruv. 4. decret. p. 2.
Cap. 3. n. 6. Gletle 1. p. pand. q. 34. n. 16. meticulousum tale
 matrimonium jure etiam naturali irritari hâc potissimùm
 ex ratione, quod constet Authorem statûs conjugalis Deum
 voluisse, ut si qui disparis sexûs homines se consociarent
 ad ineundum statum hunc, intimam quandam, eamque
 (quantùm ex eorum parte est) nulli retractationi obno-
 xiam animorum, corporumvè conjunctionem sibi spon-
 derent, ista verò conjugalis societatis perpetuitas & arcti-
 tudo gravissimarum inductiva obligationum objectum
 cùm

cùm sit a seò arduum, videtur omninò præexigere plenam in personis desponsandis libertatem ab omni gravi, injustoque metu immunem, sanè ad obtinendum designatæ à naturâ pro conjugali societate felicitatis bonum simpliciter expediebat irritatio matrimonii sinè tantâ libertate contracti, cùm enim matrimonia ex justo usquè adeo metu contracta difficiles soleant habere exitus, quæ potest esse spes prudens inchoandæ, fovendæque amicitia, & ab hac dependentis felicitatis conjugalis, si quando ad fabricandum conjugij vinculum adhibetur artifex injuria violenti metûs ?

§. 5.

Impotentia, prout hic consideratur, est inhabilitas ad commixtionem maris & fœminæ, quominùs per copulam efficiantur una caro, soletque respectu fœminæ interdum arctitudo, interdum respectu maris frigiditas appellari ut notum est ex *Cap. 5. & 6. de frigid. & malefic.* ut autem inhabilitas ista vim dirimendi matrimonij certam habeat, debet ipsa antecessisse matrimonium ratum, impotentia siquidem, quæ contracto validè matrimonio supervenit, intactum relinquit matrimonij valorem *Cap. I. de frig. & malef. Can. 25. caus. 32. q. 7.* debet quoque inhabilitas ista antecedens esse perpetua, qualis toties adesse censetur, quoties ex parte personæ inhabilis sinè gravi periculo vitæ ab eâ incurrendo curari vel tolli nequit per media licita *Cap. 6. de frig. & malef.* debet in-

super

super perpetua inhabilitas esse vera saltem respectu personæ, cum quâ matrimonium fuit attentatum, neque enim requiri potest, ut respectu qualiumcunque personarum absoluta impotentia adsit, cum matrimonij valor non examinetur plerumque aliter, quàm in ordine ad personas duas hic & nunc volentes se obligare ad conjugii statum sobolis procreandæ, communisque subsidij causâ. Quod verò impotentia jure quoquè naturali attentatum matrimonium penitûs dirimat, Sententia est, quæ contra Paludanum *in 4. dist. 30. q. 1. art. 2. n. 6.* aliosque tanquam verissima defenditur, exigit enim substantialis matrimonij valor, ut fiat traditio corporum cum jure mutuo saltem radicali ad exigendum, obtinendumque conjugale debitum, idque de jure naturæ *Genes. Cap. 2. v. 24. & 1. Corinth. 7. v. 3. & 4.* quæ ipsa traditio cum impossibilis sit respectu personarum impotentium pro omni tempore, & quidem non solùm ad liberorum procreationem, sed usque adeò ad sanguinis veram, legitimamque communicationem, attentatum à talibus personis matrimonium nullam naturaliter potest habere vim obligantem, imò non debet sub matrimonij nomine comprehendi. Labet hic quærere, an ob Sterilitatem saltem ex ratione statûs apud Reges, & principes matrimonium rescindi queat? & Respondeo negativè per textum rotundum in *Can. 27. caus. 32. q. 7.* & rectè, licet enim in conjugio sterili non attingatur finis primarius, qui est procreatio sobolis, attingitur

gitur tamen finis secundarius, qui est solatium humanitatis & remedium concupiscentiæ *Can. 41. Caus. 27. q. 1.* accedit, quod Sterilitas sæpè progrediente tempore corrigatur, ut præter exempla Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Elisabethæ, aliarumque recentiora comprobant, sic Boleslao Poloniæ Regi uxor Adelheidis Henrici 4ti Imperatoris Filia post decennij Sterilitatem quinque filios, unamque filiam peperit, Salome Gabrielis Basilij Magni Moschorum ducis uxor post annum 21mum adhuc enixa est Georgium filium, quod ipsum Mariæ Theresiæ Ludovici 13tij Regis Galliarum uxori Ludovici 14ti matri contigisse constat confer Mijler. in Gamolog. *Cap. 4. n. 8. & seq.*

§. 6.

Ligamen, prout est impedimentum dirimens matrimonium, est vinculum ex priori matrimonio valido resultans, faciensque ut eodem priori matrimonio durante nullum valeat posterius matrimonium, circà hoc ligamen, si leges Pontificias in *Cap. 31. de spons. & matr. & Cap. 3. & ult. de spons. duor.* respiciamus est certum primò, quod idipsum resultet ex matrimonio non tantùm consummato, sed etiam rato, certum secundò est ex sanctissimis divinæ institutionis decretis de quibus tùm alibi, tùm *1. ad Corinth. 7. v. 10. & Cap. un. de vot. & vot. redempt. in 6.* quod illud ligamen tam forte sit respectu personarum ad matrimoniale societatem obligatarum, ut nullo amplius privato ipsarum arbitrio dissolvi queat, atquè hinc tantò facilius

lius intelligitur, unde ligamini illi vis insit dirimendi atten-
tata secundò matrimonia, quò apertius insinuatur mascu-
lum & fœminam, postquam nuptias celebrârunt validè,
sic corporis sui respectivè potestatem transtulisse, quan-
tùm est ex earum parte, in alteram compartem, ut factâ
hac translatione amiserint facultatem corpus uni traditum
valido contractu obligandi cuidam tertio, atque ita ob re-
quisitæ facultatis defectum non debeat mirum videri, si
matrimonium aliquod durante priore initum sit quoque
contra naturalem legem prohibentem, ac irritantem, hinc
& jura contra bigamos ultore gladio armantur *Ordin. Crim.*
Caroli sti art. 121.

§ 7.

Consanguinitas, prout inter personas ab Adamo proto-
parente descendentes attenditur, est propinquitas per-
sonarum ab eodem stirpe descendentium carnali propa-
gatione contracta *Schmier part. 3. Cap. 3. S. 1. per tot.* ha-
betque suos illa gradus, quos in ordine ad matrimonium,
& ex hoc dependentes causas constat interdùm aliter de
Civili, aliter de Canonico jure computari per text. *in Can.*
2. 4, & 6. caus. 35, q. 5. Cap. ult. § de consang. & affin. Nec
minùs constat consanguinitatem duas in lineas dividi, qua-
rum una recta dicitur continens ordinatam seriem perso-
narum, quarum nulla ab aliâ, benè verò à communi o-
mnibus parente genita est, in quâcunque autem lineâ con-
sanguinitas versetur, aliqua esse scitur, quæ matrimonium
F 2 diri-

dirimat. Sanè consanguinitas in lineâ rectâ secundum civiles, Canonicasque sanctiones in *L. 35. ff. de rit. nupt. §. 1. inst. de nupt. & Can. 2. caus. 35. q. 2, & 3*, matrimonium irritat inter ascendentes, & descendentes, cujuscunque gradûs sint, in infinitum Vallenf. *de consang. & affin. §. 1. n. 5.* quo autem in gradu jus naturale dirimat matrimonium inter personas consanguineas disputatur à multis. De primo gradu non placet imprimis quæstionem instituere, nam adeò horribilis ac turpis est congressus personarum in eo gradu sibi consanguinearum, ut indubitatè sustinendum matrimonium inter eas dirimi spectato jure naturæ Struv. *exercit. 29. Th. 47. de nupt.* quod & indirectè quoque probat Grotius *de l. bel. & Pac. lib. 2. cap. 5. n. 12.* quod nec Filius - maritus, qui foret superior lege matrimonij, eam reverentiam posset præstare matri, quam natura exigit, nec patri filia-uxor, hæc enim, quanquam foret in matrimonio inferior, ipsum tamen matrimonium, si quod subsisteret, talem inter eas personas induceret societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excluderet, atque hoc vitium cùm perpetuum maneret, providâ naturalis Juris Sanctione non illicitus duntaxat, sed insuper irritus decerni debuit actus vitii adeò turpis, ac perpetuum indecentis productivus, quid quod non pauca belluarum ab ejusmodi conjunctione abhorreant, ut testis est Aristoteles *l. 9. hist. animal. C. 47.* & Plin. *hist. nat. l. 8. C. 42.* Extra gradum primum in secundo & ulterioribus lineæ
rectæ

rectæ matrimonium jure naturali non dirimi probabilius
 judico cum Sanchez. *lib. 1. disp. 51. n. 19.* Fagnano ad *Cap.*
ult. de consang. à n. 33. aliisque quos refert Schmaltzgruber
tit. 14. n. 31. Quod attinet ad lineam consanguinitatis ob-
 liquam certum imprimis jure Pontificio ex *Cap. 8. de con-*
sang. quod seclusâ sedis Apostolicæ dispensatione consan-
 guinitas usque ad quartum inclusivè gradum matrimonium
 irritet, deinde certum est ex Concil. Trid. *Sess. 24. de re-*
form. matr. Cap. 5. memoratam dispensationem in quarto,
 tertio, imò & secundo gradu posse habere locum, nùm
 verò dispensatio similis subintrare valeat quoad gradum
 primum, quo frater & soror à se invicem distant, quæ-
 stio est dependens ab eo, an jus naturale inter primi trans-
 versalis gradûs personas validum nullum permittat matri-
 monium? quo in puncto verius arbitror legem natura-
 lem non repugnare valori matrimonij inter fratrem, foro-
 remque initi propter autoritatem tum Scripturæ Sacræ
Genes. 20. à V. 11. & 2. Reg. C. 13. v. 13. tum juris non mi-
 nùs Canonici in *Can. 8. Caus. 35. q. 3.* quàm Civilis in *L. 35.*
ff. de V. O. dein favet ratio, quod inter personas eo gra-
 du consanguineas posset servari æqualitas in Societate ma-
 trimonialis observanda, hujus enim observantiæ possibilita-
 tem & ostendit Deus optimus in primis ex Adamo fratri-
 bus & sororibus, & dei in terris Vicarius Pontifex Marti-
 tinus V. referente Cajetan. *opusc. de matr. Reg. Angl.*

Affinitas, quæ est propinquitas personarum ex carnali copulâ proveniens carens omni parentalâ matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusivè, si oriatur ex copulâ licita *Cap. 8. de consang. & affin.* usque ad secundum, si ex concubitu illicito *Trid. Sess. 24. de reform. matr. Cap. 4.* ubi pro computatione graduum scienda est regula, quo gradu quis est consanguineus viro, eodem etiam est affinis fœminæ, & vicissim quo gradu quis est consanguineus fœminæ, eodem quoque affinis est viro *Can. 3. caus. 35. q. 5.* inter consanguineos tamen, consanguineasque viri & fœminæ affinitas nulla contrahitur, *Cap. 5. de consang. & affin.* legitimè proinde etiam inconsulto S. Pontifice Joannes Wilhelmus gloriosissimæ Memoræ Elector Palatinus inivit matrimonium Viennæ cum Mariâ Annâ Josephâ Augustissimi Leopoldi sorore anno 1678. die 25. Octobris non obstante, quod prius invictissimus Imperator Leopoldus anno 1676. die 14. Decembris Eleonoram Magdalenam Theresiam altèfati Electoris Palatini Sororem Germanam in uxorem duxisset. Cùmque etiam impedimentum affinitatis in nullo gradu matrimonium de jure naturali dirimat, cùm nec ratio principiati, nec specialis reverentia id exigat, sed tantum ex jure Ecclesiastico vim suam habeat, constat desuper dispensari posse, prout dispensatum scimus 8. Decembris anni 1695. cum Francisco Farnesio Duce Parmensi, ut Dorotheam Sophiam Natam

tam

tam Ducem Neoburgicam fratris sui Odoardi III. uxorem
sibi connubio jungere potuerit,

§. 9.

PUBLICA honestas est inchoata quædam affinitas resul-
tans ex sponsalibus de futuro vel de præsentibus inter per-
sonas affines matrimonium dirimens & quidem orta ex
sponsalibus de futuro tantum ad primum gradum Titid.
Sess. 24. de refor. matr. Cap. 3. proveniens ex sponsalibus de
præsentibus ad quartum gradum inclusivè *Cap. 3, 4, & 8, de
spons. Cap. un. eod. in 6.* ratio dirimendi cum non fundetur
in aliquâ necessitate vel naturali indecentiâ, sed in quâdam
honestate, & convenientiâ, ut servetur respectus erga spon-
salia, & magis erga matrimonium præcedens, in nuptiis
enim non tantum quod licitum, sed & quod honestum,
spectari debet *L. 197. ff. de Reg. jur.* facile patet publicæ
honestatis impedimentum non ab alio jure, quàm huma-
no Ecclesiastico derivari, sed à plurimis jam sæculis, ac
ut valdè credibilè paulò post initia nascentis Ecclesiæ per
text. in Can. 11, 12, 14, 15, caus. 27. q. 2. unde Julius 2^{us} cum Hen-
rico 8^{vo} Rege Angliæ, & Catharinâ Austriacâ antea Art-
thuro Henrici fratri nuptâ dispensavit *Pignatelli Tom. 4. con-
sult. 14. n. 4.*

§. 10.

VOtum, quod est promissio deliberata deo facta de me-
liori bono, ut constituatur inter impedimenta diri-
mentia

mentia, debet esse regulariter solenne, ac in Religione per sedem Apostolicam approbatâ legitimè emissum *Cap. un. de vot. & vot. redempt. in 6.* hinc qui professionem edidit in tertiâ regulâ D. Francisci vel D. Dominici, aut in quartâ regulâ S. Francisci de Paula valido connubio jungitur, cum regulæ istæ non sint approbatæ ad vovendum solenniter, sed simpliciter *König ad tit. qui clerici vel voventes part. 2. §. 3. n. 15.* ordines etiam majores in legitimâ ætate spontaneè & validè suscepti matrimonium dirimunt *Trid. Sess. 24. de sac. matr. Can. 9.* minores tamen, & non sacri, cum libertatem matrimonij relinquunt intactam illud nec dirimunt, *Cap. 1. §. 1. de cleric. conjug.* in ambobus autem his impedimentis utpote jure tantùm Ecclesiastico constitutis urgente causâ boni communis dispensatio locum habet, prout dispensatum legitur cum Casimiro Rege Polonia, qui è monasterio Cluniacensi Parisiis à Polonis revocatus, ac dispensante S. Pontifice Throno impositus dignissimè sceptrum tractavit, idem factum cum Ramiro, qui è monasterio ad thronum eductus fuit, ut Fratri Alphonso Aragoniæ Regi in obsidione Fragæ perempto substitueretur *Buffieres in Flosculis histor. areol. 14. pag. 331.* Sic & cum Francisco Leopoldo Guilielmo Comite Slabata Canonico Ecclesiæ Passaviensis ad intercessionem Augustissimi Leopoldi Imi 14. Januarij 1690. Alexander octavus dispensavit *König loc. cit. num. 10.*

S. II.

Inter impedimenta dirimentia venit & crimen tum ad-
 ulterii, tum conjugicidii, prius incurrunt, qui duran-
 te matrimonio legitimo adulterium formale perpetrant,
 ac insuper sibi invicem promittunt matrimonium post
 mortem alterius conjugis contrahendum, aut matrimo-
 nium de facto attentant *cap. 1. pen. & ult. de eo qui duxit in
 uxor. quam poll. per adult.* posterius incurrunt, qui mutuo
 consensu conjugem interficiunt eâ intentione, ut post
 mortem peremptæ conjugis matrimonium inter se que-
 ant contrahere *cap. 3. & 6. d. tit. cap. 1. de convers. infid.* diri-
 mit & matrimonium cultûs disparitas, quæ est diversitas
 religionis dirimens matrimonium fidelem inter & infide-
 lem, idque præcipuè ob periculum perversionis juxta
 text. 3. reg. 11. v. 3. ubi de Salomone sapientissimo ita le-
 gitur, *depravatum est per mulieres cor ejus, ut sequeretur deos
 alienos* vide *& v. 2. cap. eod.* & hoc impedimentum non
 provenire ex jure naturali patet Genes. 29, 31, 41. exod. 2.
 ubi viri graves Jacob, Joseph, & Moyse tempore legis
 naturalis matrimonium cum mulieribus Ethnicis contra-
 xisse leguntur, neque etiam divino seu veteris, seu novi
 testamenti, sic in veteri contraxit Salmon, filius Naasson-
 nis cum Rahab paganâ *Josue 2.* Booz cum Ruth Moabi-
 tude Gentili *Ruth. 4.* Sambson cum Dalilâ Philistinâ *Judic
 16.* David cum Machâ Cananæâ *2. Reg. 3.* Salomon cum
 filiâ Pharaonis Regis Ægypti *3. Reg. 3.* Sic in novo testa-
 G mento

mento contraxit S. Cæcilia cum Valeriano Ethnico, S. Monica mater S. Augustini cum gentili, Clotildis principissa Christiana cum Clodovæo francorum Rege tunc Ethnico, Edelburga cum Eduino Rege Anglorum adhuc gentilitatis erroribus involuto Clericat. *de Sacram. matr. decis. 26. n. 10.* dicendum ergo id profluere ex jure tantum Ecclesiastico, & magis non scripto, quam scripto Sanchez. *lib. 7. disp. 71. n. 7.*

§. 12.

Postremò inter impedimenta dirimentia venit Claustrinitas, & Raptus, clandestinitas enim, licet matrimonium semper reddiderit illicitum, *can. 1, 2, 3, 5. caus. 30. q. 5. cap. ult. de cland. despons.* nunc etiam dirimit eorum, qui contrahunt absque proprio Parocho, & duobus testibus in locis Concilii Tridentini promulgati, & per usum contrarium non aboliti Trid. *Sess. 24. de reform. matr. cap. 1.* non refert tamen, an Parochus ille proprius nolit, repugnet, aut videlicet inductus sit, modò præsens sciat matrimonium contrahi *arg. L. coram titio 209. ff. de V. S. quis veniat nomine parochi proprii vide Pirrhing de clandest. despons. §. 3. n. 20. Konig. cod. tit. §. 5. n. 4.* ubi circa principes illud speciale, quod licet censeantur esse cives omnium urbium, & pagorum sui principatûs, non tamen nisi coram paroco palatii, ubi ordinariè resident, validè nuptias contrahant *Konig. loc. cit. n. 13.* Raptus est violenta abductio fœminæ de loco in locum moraliter diversum matrimonii contrahendi

trahendi gratiâ, hinc fluit impedimentum non induci, si rapta consentiat *arg. cap. pen. de raptor.* licet parentes sint invitati, non enim his, sed libertati matrimonii Tridentinum consulere voluit Sanchez *lib. 7. disp. 13. n. 13.* aut si raptus alio, quàm matrimonii ineundi sine factus sit Sanchez *loc. cit. n. 4.* tamdiu autem raptus matrimonium irritat, donec mulier loco tuto fuerit reddita *Trid. Sess. 24. de reform. matr. cap. 6.*

§. 13.

Contraria denique matrimonii semel validi est ejus dissolutio, seu divortum, quod ex causâ superveniente quandoque contingit, aut quoad vinculum aut quoad thorum, mensam, & cohabitationem manente conjugii vinculo, restat ergo, ut de eo videamus, & quidem primò matrimonium legitimum etiam consummatum dissolvi potest quoad vinculum, quando unus conjugum convertitur ad fidem, alter in infidelitate permanet, & cohabitare converso aut non vult, aut non sinè injuriâ Creatoris *1. Corinth. 7. v. 15. can. 3, 4, 7. caus. 28, q. 1. cap. 7. §. nos igitur, cap. 8. v. qui autem de divort.* secundò matrimonium ratum duobus casibus etiam quoad vinculum dissolvitur alterius nimirum conjugis religiosâ professione *cap. 2, & 7. de conv. conjug. Trid. sess. 24. de matr. can. 6. & dispensatione Apostolicâ Sanchez lib. 2. disp. 14. n. 2. Engel ad tit. de spons. duor. n. 3. Less. de just. & jur. lib. 2. cap. 4. dub. 14 n. 116.* Sic in specie dispensatum traditur de Martino

V. Eugenio 4to, Paulo 3tio, Pio 4to. imò Sanchez & Less.
loc. cit. addunt Gregorium 13tum uno die cum undecim
dispensasse, Matrimonii denique consummati vinculum
sola fidelium mors solvit, non adulterium *Trid. sess. 24.*
de matr. can. 7. quanquam non negem propter adulterium
conjugis unius tum carnale & de jure naturali, quo fides
perfidè eam violanti servanda non est, & divino *Matth.*
cap. 19. & Canonico *can. 19. & ult. caus. 32. q. 5. cap. 2, 4, 5,*
8. de divort. tum spirituale can. 5, 6. caus. 28. q. 1. Cap. 6, & 7.
in fin. de divor. aliasque ob causas, de quibus Engel ad tit. de
divort. §. 4. Schmier part. 2. cap. 5. Sect. 2. §. 3. parti innocen-
ti quoad thorum, & mensam divortium concessum esse,
si modò id in causâ dubiâ, nec vulgò cognitâ non atten-
retur absque interveniente Judicio Ecclesiæ cap. 9. de spons.
& cap. 4. de divort. adquam dum dico pertinere potestatem
cognoscendi circa causas matrimoniales per cap. 2. de judic.
Trid. Tess. 24. de sacr. matr. Can. 12. junctâ clem. 2. de judic.
etiam sæculari connexas cap. 3. de ordin. cognit. cap. 5, & 7.
qui fil. sint legit. Myns. cent. 1. obs. 100.

Pro morali thesium coronide hortor omnes, ut no-
stros humani cordis affectus sic Deo bonitatis infinitæ
Sponso impendamus, quò ei *desponsati* in fide, ac demùm
omnibus hujus mundi *impedimentis dissoluti* insepa-
rabili *vinculo conjugii* mereamur in cœlis.

